



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 1. Etynom.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

debere esse impedimentum, quod accessum salutis impediatur. Sylveira in Matth. hic.

Si tentationi in corde nascenti festinè non resistitur; hæc eadem, quæ nutritur, morâ roboratur. S. Gregor. mor. l. 21. 7.

Si illi, qui in mari navigant, sæviente tempestate merces negligunt; & propriis manibus onera in mare projiciunt, & fortunis vitam anteponunt; ac, nè navis pondere oppressa submergatur, eam sublevant; & pretiosissima quæque vel in profundum jaciunt: cur non etiam nos, propter vitam præstantiorem, ea despiciamus, quæ animam in profundum detrahunt? cur idem non potest Dei timor, quod potest timor maris? S. Nilus lib. ascet.

Miscellanea.

Ingredere tu, & omnis domus tua &c. Gen. 7. 1. Nam, licet multum à virtute iusti illius abfuerint, alieni tamen erant à gravioribus sui sæculi peccatis. Alias quoque ob duas causas salute potiti sunt. Una in honorem iusti: consuetudo enim misericordis Dei est, honorem hunc dare servis suis; ut propter eos salventur & alii &c. S. Chrysost. hom. 24. in Gen.

Novit Dominus viam iustorum, & iter impiorum peribit. Ps. 1. 6. Quia Dei agnoscere, servare est; Dei agnoscere, custodire est: non agnoscere, damnare est. Sanct. August. in Ps. 141.

TITULUS VI. SALUTATIONES.

H *Eva.* Gen. 4. 1. *Sept. vita.* Ex Hebræo have, id est, *vive*; quæ vox est salutantis. Pro have Latini dicunt ave, Cornelius hic.

Et factum est, ut audiret salutationem Mariæ Elisabeth &c. Luc. 1. 41. Charitas proximi salutationibus, & aliis charitativis locutionibus, semper fovenda est. Unde angelis salutavit Mariam; Maria salutavit Elisabeth; Filius Mariæ salutavit Marias euntes de sepulchro, dicens illis: *avete* Matth. 28. 9. Væ eis, qui, propter odium, salutationem proximo negant. Væ & illis, qui dolose proximum salutant; sicut Judas, cum dixit: *ave Rabbi.* Sanct. Bonaventura spec. B. V. c. 4.

In orientali Ecclesia, ubi quis per dies Paschales alteri sit obvis, pro salutatione dicit: Christus surrexit à mortuis; salutatus responderet verè surrexit Dominus. Isidor. Clar. Or. 21. lib. 1.

Totâ Paschali septimanâ æquum foret, hoc pacto invicem salutarem: surrexit Dominus; & salutatus responderet: Deo gratias. Beletus rat. offic. div. c. 116.

Quorundam salutio Sanctorum hæc fuit, ut, cum sibi occurrerent, prior salutando diceret: moriendum est; alter responderet: nescimus quando. Cornelius in Gen. 3. 3.

TITULUS VII. SANCTI.

§. I.

Etymon.

S *anctum sanctorum est.* Levit. 6. 25. Sanctum à sancto venit. Sancire enim propriè est consecrare aliquid sub sanguine hostiæ: unde sanctum dicitur, quasi sanguine consecratum. Cornelius hic.

Sanctus Psalm. 10. 5. Id est, sanguine tinctus. Hugo Card. in Psalm. 10.

Cogitaverunt adversus sanctos tuos. Psalm. 82. 4. Symmachus, pro *sanctis tuis contra occultum tuum.* Aquila: *contra absconditum.* Hebr. *adversus absconditos tuos.* Rectè Fideles, Dei dicuntur absconditi, qui sub umbra alarum suarum protegit eos.

Et quia *vita nostra abscondita est.*

Coloss. 3. 3. Bellarminus hic.

§. II.

Figure, & Symbola.

Ex Veteri.

P *lantaverat Dominus DEUS Paradisum voluptatis.* Gen. 2. 8. Est Paradisus vita beatorum: quatuor flumina, quatuor virtutes. S. Isidorus hic.

Numera stellas - sic erit semen tuum. Gen. 15. 5. Isidorus Pelus. l. 3. ep. 296. Notat posteros Abrahæ hic comparari stellis cæli: quia ex iis alii futuri erant sapientes, & sancti, cælestes, sublimes, & illustres; instar stellarum cæli.

Quoniam placuerunt servis tuis lapides ejus. Psalm. 101. 15. Lapides Sion, sunt Fideles militantis Ecclesiæ; firmi, & stabiles, in Christiana Fide: & nihilominus spe solidi, & persistentes, in charitate. Hi nimirum placuerunt servis tuis, hoc est, sanctis Ecclesiæ triumphantis. Gerson hic.

Gggg 3

F. u. s. d.